

fidelis baptizandi; Ritual. Roman. rubr. de Baptismo §. 3. his verbis: *Adulterum Baptismus, si commode fieri potest, ad Episcopum deferatur, ut si placuerit solemniter ab eo conferatur, alioquin Parochus ipse baptizat statuta caeremonia, (Vide addit. hisp. verb. Regulares) & specificie in terminis Baptismi adulterum Infidelium tenet Gloss. in cap. Nec n. 5. caus. 10. q. 3. verb. Aut in electa, & ibi Archidiaconus n. 2. Turcremat. verb. Ceterum, Bellamer. n. 7. vers. in Glossa, Petra in constit. 2. Gregorii XI. n. 31. ubi rationem dant, quod scilicet Infideles, ex quo baptizari volunt, ratione propositi, intelliguntur jam esse de foro illius, ubi habitant; nec in præjudicium Parochi domicili potest id prætendi à Parocho Cathedralis, ut resolvit Sac. Congr. Concil. in Neapolitana juris baptizandi, in qua prætendente Parocho, seu Vicario Curato ecclesie metropolitanae sibi competere jus baptizandi per se, vel per alios ab ipso delegandos, Infideles ad fidem conversos privative quoad Parochos parochiarum, intra quarum limites baptizandi degunt, ac proinde proposito dubio: An jus baptizandi illud Infideles competat Vicario Curato ecclesie metropolitanae, vel potius Parochis earum parochiarum, intra quarum limites baptizandi degunt; sub die 27. Sept. 1687. responsum fuit: Spectare ad Parochos domicili servata forma Ritualis Romani, & sub die 21. Febr. 1688. persutum fuit in decis. 18. Sacerdotes, sive Parochi alienæ parochie baptizantes alienum subditum sine licentia proprii Parochi, vel Episcopi extra causam necessitatis peccant mortaliter, & puniri severe possunt, quia in re gravi sibi usurpant Jurisdictionem alienam contra dispositionem Conc. Trid. sess. 24. cap. 13. ubi præcipiens Episcopis distinctionem populi in proprias, certasque parochias sic ait; *Unicuique suam perpetuum, peculiariterque Parochum assignent, qui eos cognoscere valeat à quo solo licite sacramenta suscipiant; & contra canonem Ecclesiasticus. 13. q. 1. ubi Dionysius Papa ad Severum Episcopum sic scribit: Ecclesias singulis Presbyteris dedimus, parochias, & camera teria eis dividimus; & unicuique jus proprium habere statutum, ita videlicet ut nullus aliterius parochie terras, terminos, aut jus invadeat, sed unusquisque suis terminis sit contentus. Vide infra n. 46. Ex quibus deducitur, ut quavis Episcopus alteri Sacerdoti, etiam Parocho invito, facultatem baptizandi, aliaque sacramenta ministrandi delegare possit, id tamen raro, & non nisi urgenti de causa faciendum est, ut decrevit Sac. Cong. Episcop. & Regul. in Tranen. 21. Aug. 1580. in Neapolitana 14. Dec. 1604. in Thelesin. 12. Jan. 1618. Non tamen tales Sacerdotes, seu Parochi alienum subditum sine licentia baptizantes incurrunt aliquam censuram, & Irregularitatem, cum nullibi reperitur imposita hæc poena censurarum, vel Irregularitatis, ut tenet Barbosa de offic. & potest. Paroch. part. 2. cap. 18. n. 11. Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ disp. 31. sect. 4. vers. Sed quæres; Armilla verb. Baptismus n. 39. Valentia, Bonacina, & alii passim. Irregularitatem tamen, ultra peccatum mortale, incurrunt Diaconi ministrantes Baptismum solemniter sine debita licentia, ut colligitur ex cap. Si quis baptizaverit 1. de Clerico non ordinat. ministrans. quem textum intelligit de ministrante solemniter, etiam in casu necessitatis; Gloss. in dist. cap. 1. de Clerico non ordinat. ministrans. Navar. in manual. cap. 22. num. 7. & cap. 27. num. 242. Divus Antonin. tertia part. tit. 28. cap. 1. & alii. Et ratio est quia nulla necessitas potest ab hac Irregularitate excusare, cum nulla sit necessitas, quæ cogat ad solemnem Baptismum conferendum, cum egeni provideri possit per Baptismum sine solemnitate, adeoque Diaconi ministrantes Baptismum solemniter sine debita licentia incurrunt Irregularitatem impositam in dicto cap. Si quis baptizaverit.**

23. Subdiaconi, & alii Clerici inferiores, & à fortiori laici solemniter baptizantes, etiam in necessitate, contrahunt Irregularitatem, etiam si baptizent cum facultate Episcopi. Et ratio est, quia Subdiaconi, & alii Clerici inferiores, & à fortiori laici non habent aptitudinem, ut possint deputari ad hoc munus, cum hæc aptitudo solum resultat in Diacono ex vi sue ordinationis privative quoad omnes alios inferiores. Unde ipsi etiam eandem Irregu-

laritatem contraherent solemniter baptizando, quamvis baptizent ex commissione Episcopi, quia non sunt apti recipere talem commissionem. Et licet laici secundum alios quos videantur non incurrere hæc Irregularitatem, ex quo cit. cap. 1. de Clerico &c. ubi id ponitur, non loquitur, nisi de Clericis non ordinatis baptizantibus. Tamen bene perpensis verbis, per quæ Irregularitas imponitur, potius ex ipsis contrarium eruitur. Non enim ibi dicitur: Si quis ordinatus baptizaverit, sed si quis baptizaverit non ordinatus, æque autem non est ordinatus Laicus, ac Clericus, qui non est sacerdotio initiatus, & per hoc etiam laicos incurrere hæc Irregularitatem, tenent Paludanus in 4. dist. 4. q. unica ad argument. contra secundam conclus. Divus Antonin. 3. part. tit. 28. cap. 1. Scotus in 4. dist. 25. q. 1. art. 3. & alii magis communiter. Clerici inferiores, & laici, & etiam sacerdotes censura irretiti extra causam necessitatis baptizantes etiam privative graviter peccant; quia abutuntur in re gravi facultate, quæ solum est eis concessa pro casu necessitatis urgentis, ne defectu ministri quæ impeditur decedat, & sacerdos censura irretiti ratione censurae insuper specialiter interdicuntur à quacumque communicatione potissimum in divinis. Et isti omnes mortaliter, vel venialiter peccant juxta gravitatem, vel levitatem injuræ alteri majori presentis irrogatæ, si in casu necessitatis conferendi Baptismum non servarent ordinem traditum à Divo Thoma 3. part. q. 2. art. 4. & communiter receptum à Doctoribus, ut scilicet inferior in baptizando cedat superiori presentis, adeo ut non baptizatus baptizato, excommunicatus non excommunicato, mulier viro, Laicus Clerico, Clericus Sacerdoti, Sacerdos Parocho, Parochus Episcopo cedant; nisi justa causa aliud suadeat, veluti si ob mortis periculum oporteat baptizari puerum nondum plene ex materno utero editum, tunc enim propter honestatem decreet feminam ministrare, pratermissum etiam proprio Parocho; alioquin autem non licet hujusmodi ordinem intervertere. Et inferiores baptizantes presentibus superioribus paratis, & dispositis ad baptizandum, peccant lethaliter, ut tenent Doctores apud Leand. tom. 1. de sacram. tract. de Baptismo disp. 4. q. 7. Diana part. 3. tr. 4. resol. 4. & alii passim; Et colligitur ex Conc. Mediolan. l. part. 2. tit. de Baptismo; ubi dicitur quod mulier potest baptizare in necessitate, si non adsit sacerdos, neque Clericus in sacris, vel alii Clerici, neque alius masculus, & Rit. Roman. tit. de Ministro Baptismi.

Unus solus Minister potest in casu necessitatis plures simul per aspersionem baptizare, utendo hæc forma, *Ego vos baptizo &c.* quia non mutatur nec forma, nec sensus; nam ly *Vos* idem est ac *Te*, & *Te*, & patet à pari, quia potest unus eadem forma consecrare plures hostias, & in periculo naufragii absolvere plures Penitentes. Sic Scotus in 4. dist. 6. q. 2. & alii communiter. Extra tamen casum necessitatis est peccatum mortale simul plures baptizare; quia est contra morem ecclesie in re gravi, ut recte advertit Scotus loc. cit. Coninch. 3. part. q. 67. art. 6. dub. 2. Ghetius in Theodoro anima verb. Baptismus cap. 5. de ministro Baptismi n. 13. Henricus disp. 6. de Baptismo q. 2. n. 14. & alii plurimi, quidquid ex adverso dixerunt Scotus, Vivaldus, Reginaldus, & alii, & colligitur ex Rituali Romano tit. de baptizandis parvulis, ubi agens de forma *Ego vos baptizo &c.* ait, quam tamen formam in his solum, & in aliis similibus mortis periculis ad plures simul baptizandos, & ubi tempus non patitur, ut singuli separatim baptizentur, aliis nunquam licet adhibere, quod denotat gravem culpam juxta gravitatem rei, formaliter, & quoad effectum distinctam, quia essent plures Baptizati, & quamvis una tantum videatur esse forma, est tamen virtualiter multiplex, eo quod pronomen *Vos* includat in se singulare plures geminatum, cum ly *Vos* idem sit ac *Te*, & *Te*. Scotus loc. cit. & alii passim. Plures ministri simul valide baptizant, si quilibet abluat, & formam proferat independentem ab intentione alterius; patet à pari de pluribus sacerdotibus noviter ordinatis, qui simul cum Episcopo omnes consecrant, & faciunt sacramentum, si simul cum illo proferant, & finiant verba consecrationis. Si vero unus ex ipsis aquam effundat, & alter verba forme bap-

tismalis proferat, invalide baptizant. Quia ultra quam quod hoc est contra Christi institutionem, ut patet ex praxi ecclesie, & communi sensu Doctorum; in tali casu significatio forme esset falsa, nam alter dicens: *Ego te baptizo*, cum non ipse, sed alius baptizaret, seu ablueret, falsum proferret. Sic Divus Thomas part. 3. q. 67. art. 6. Scotus in 4. dist. 6. q. 2. & alii passim, & colligitur ex c. Detrahe 54. caus. 1. q. 1. ubi ex verbis S. Augustini expresse dicitur: *Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? si plures simul concurrant ad eundem baptizandum sub hac forma: Nos te baptizamus in nomine Patris &c.* nullum faciunt Baptismum. Sic Divus Thomas 3. part. q. 67. art. 6. S. Bonaventura, Alensis, Contensonius, Toletus, Vasquez, Coninch, Caspensis, Bonacina, Mastrius, Ledesma, Centinus, & alii passim. Et ratio est, quia in hoc casu mutaretur essentialiter forma à Christo instituta, siquidem forma Baptismi ex sua ratione significandi, significat Baptismum ab uno ministro perici, & ab illo adæquate, & totaliter causari independentem ab alio, ut clare denotant ipsius verba: *Ego te baptizo &c.* sed hæc forma: *Nos te baptizamus &c.* significat, quod plures conveniant ad unum Baptismum conferendum inadæquate, & tamquam concause ad invicem dependentes, & connexæ, non autem adæquate, & absolute; ergo hoc modo forma Baptismi mutaretur essentialiter, quia sic non representaretur una causa totalis, & principalis, quæ est Christus Dominus, ad quem finem minister ita debet esse unus, sicuti causa principalis est una; propter quod Apostolus ad Ephes. 4. ait: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.*

Baptizatus à Christo, vel ab Angelo, est valide baptizatus; adeoque non est necessario rebaptizandus, ut colligitur ex S. Thoma, q. 64. art. 7. ubi sic expresse ait: *Quia boni Angeli sunt nulli veritatis, si aliquid sacramentale ministerium ab Angelis perficeretur, esset ratiō habendum, quia debet constare (id est certo credi) hoc fieri voluntate divina: & ex Scoto, in 4. dist. 6. q. 1. ubi dicit, quod si constat aliquem esse baptizatum à bono Angelo, præsumendum esset illum Baptismum collatum esse jussu Dei, & idcirco pro rato habendum; ergo à fortiori habendum erit pro rato Baptismum collatum ab ipso Christo juxta id quod dicitur, 10. Angelus dixit Petro: *Quod Deus purificavit, tu commone ne dixeris.* Licet enim solus homo sit idoneus minister sacramentorum ex vi presentis institutionis; nihilominus tamen constat per se Angelos ministrare hominibus Eucharistiam, ut S. Bonaventura, S. Stanislaus Kostka, & alii, & ipsos Angelos, & Christum ipsum conficisse aliqua sacramenta; sic S. Amphilochius fuit ab Angelis consecratus Episcopus, & ea consecratio pro rata habita à ceteris Episcopis, ut refert Nicol. Callistus, lib. 11. histor. c. 21. Sic S. Philemon Martyr jam constitutus in loco martyrii, cum ei objiceretur à Praside Tyranno nihil ei profuturam tormentorum perpersionem pro Christo, ex quo non esset baptizatus, ad implendum ejus ardens desiderium repetita supplicatione de habendo baptismo expressum, à Christo ipso ei in nube lucida apparente inter medios carnifices omnibus spectantibus baptizatus est. Sic ex Metaphraste referunt Aloysius Lippomanus, Laurentius quoque Surinus, in vita S. Thyrii, & Sacerdotum, ad 14. Decemb. & Gobat, tract. 2. de Baptismo, cap. 7. n. 22.*

In casu necessitatis si nullus alius existat, potest baptizare pater, vel mater pueri sine solutione conjugii, seu absque debiti matrimonialis præjudicio. Conc. Londin. l. c. 3. & c. Ad limina 7. caus. 30. q. 1. ubi Joannes VIII. Papa sic scribit ad Anselmum Lemovicensem Episcopum, qui separaverat à propria muliere quoad torum quemdam nomine Stephanum, ex quo in extrema necessitate filium suum baptizasset, ibi: *Dicimus dimittendum esse, & inculpabile judicandum quod necessitas inulit. Nam hoc baptizandi opus laicis fidelibus juxta canonicam auctoritatem, si necesse fuerit facere, libere conceditur. Unde si supradictus Genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam perpetua morte perirentem dimitteret, sacri unde baptismatis levavit, ut eum de potestate auctoris mortis, & tenentiarum eripe-*

ret, & in regnum Christi jam regnaturum sine dubitatione transmitteret, bene fecisse laudatur, & idcirco suo axori sibi legitime sociatæ, impune, quando vixerit, judicamus manere conjunctum, nec ob hoc... aliquatenus separari debere. Nemo etiam in casu necessitatis potest baptizare seipsum, textu clarissimo in cap. Debitum 4. de Baptismo, ubi Innoc. III. sic scribit Metensi Episcopo: *Sane intimasti, quod quidam Judæus in mortis articulo constitutus, cum inter Judæos existeret, in aquam seipsum immerisit, dicendo: Ego baptizo me in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Respondemus, quod inter baptizantem, & baptizatum debet esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur dicentis Apostolis: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,* memoratus Judæus est denuo ab alio baptizandus, ut ostendatur, quod alius est qui baptizatur, & alius qui baptizat; nam quod etiam designandum ipse Christus non à seipso; sed à Joanne voluit baptizari? Monachi, & Regulares nedum in casu necessitatis, sicuti omnes alii, possunt valide & licite baptizare, sed etiam de licentia Ordinarii, vel Parochi possunt licite baptizare extra causam necessitatis. Quamvis enim eis hoc fuerit interdictum in c. Placuit 8. caus. 16. q. 1. his verbis: *Placuit communi nostro Concilio, ut nullus Monachorum... presumat... neque filium de Baptismo accipere, neque baptizare,* tamen fuit hoc eis concessum in c. Doctos 21. eadem caus. 16. & q. 1. his verbis: *Doctos, ac probos Monachos presbyterii honore ditatos... baptizare... moderata dispensatione commodamus, & si hoc eis permissum de licentia Parochi, vel Ordinarii observat Eminentissimus Petra in constit. 5. Honorii III. sect. 2. n. 22. ubi dicit, quod conciliando textum in Canone Placuit 8. caus. 16. q. 1. quo videtur vetitum, & in Canone Doctos 21. eadem caus. 16. q. 1. quo videtur permissum, declaratum fuit non licere, nisi cum licentia Ordinarii, vel Parochi. Clementina incip. Religiosi, c. 1. de privileg. & excessibus privilegiorum, & sic eis esse permissum docet etiam Gloss. in c. Pervenit 20. caus. 18. q. 2. allegans ad hoc textum in cit. c. Doctos 21. caus. 1.*

\* Baptismus à laicis, aut feminis administrari nequit, nisi in necessitatis casu. Et idem de Nutricibus in specie, Benedictus XIV. tom. 1. constitut. 28. incip. Postremo mense, §. 21.

Baptismus à Bigamo administrari non debet, etiam in necessitatis casu, si alius adsit magis idoneus, idem ibid. citat. §. 31.

Relate ad ea, quæ tradita sunt in hoc articulo sub numero 18. juvat hic addere responsa Sac. Congreg. Concilii ad sequentia dubia proposita in Fabrianen. Fensis baptismalis, & juris baptizandi, nempe, an liceat Parocho ecclesie cathedralis S. Venantii in ea baptizare natos in alienis parochiis, etiam fontem baptismalem habentibus, seu potius spectet privative ad unumquemque Parochum habentem fontem in sua ecclesia, baptismum conferre propriis parochianis in casu &c. Sac. Congreg. 21. Junii 1732. Respondit, *servetur solitum.*

Sed postea die 14. Novembris 1733. reposita causa, respondit: Prævio recessu à decisio negative ad primam partem, & affirmative ad secundam. Visum quippe fuit expedire, ut sublata etiam contraria consuetudine, quisque Parochus habens fontem baptismalem, infantes in sua parochia natos aqua salutis respargat, adeo ut singuli pastores cognoscant oves, quæ per primum baptismi sacramentum in Christi Domini gregem cooptentur, & in ecclesie sinum excipiantur; quemadmodum advertit Rota in Romana juris baptizandi 12. Januarii 1733. coram Samminiat. Id etiam suadente tum ea ratione, quod Parochis propriis facilius competent esse potest, quinam ex justis nuptiis procreati sint, & tamquam tales in parochialem librum referri debeant: tum & alia, quod ab eis vigilantia adhiberi major valet, ne à parentibus prostratim delatio infantium ad ecclesiam, in qua spirituale generationem sunt assecuturi.

Reposita tandem eadem causa sub dubio, an standum in dictis die 21. Junii 1732. vel potius in decis. die 14. Novembris 1733. in casu &c.

Badem Sacra Congregatio die 20. Martii 1734. Rescripsit: In secundo loco decisit, & amplius. Sic apud Thesaurum resolut. Sacr. Congreg. Concil. tom. 6. apud Ursajam, tom. 9. part. 1. discept. 32. & 33. ubi multa ad rem. Vide in nostro tom. 10. resolut. Sacr. Congreg. Concil. in Fabriano. Fontis baptismalis, & Savon. Jurium parochialium.

47. Baptizati ab hæreticis materiam, & formam debitam adhibentibus, nec sub conditione iterato baptizari debent. Benedictus XIV. consil. incip. Jam inde, §. 3. & §. 5. Et concordant dicta sub n. 11. ad 12.

48. Infantibus vero, de quibus dubium subest, an fuerint, vel an rite fuerint baptizati, Baptismus ministrandus est sub conditione; Idem, *ibid.* §. 2.

Baptismus cum conditione adjecta non confertur absque lethali culpa crimine, nisi prudens dubitandi ratio suppetat, an antea validus Baptismus collatus sit. Idem de synod. dioces. lib. 7. cap. 6. §. 3.

Nihil officii validitati Baptismi error privatus baptizantis, dummodo in materia & forma nihil innovetur. *Ibidem*, §. 9.

ARTICULUS V.

Baptismus quoad ejus subjectum, & dispositiones in subjecto requisitas.

SUMMARIUM.

- 1. **S**ubjectum capax Baptismi est omnis, & solus homo adhibe viator. Unde sunt capaces etiam infantes vis nati.
  - 2. Item capaces sunt, & baptizari debent furiosi, & amentes à nativitate, qui nullis gaudent lucidit intervalis.
  - 3. Sic furiosi, & amentes, qui ex sana mente in furorem, & amentiam inciderunt, si pro tempore sana mentis Baptismum petierint, vel voluntatem illum recipiendi sensibilibiter exhibuerint, sunt baptizandi, licet in furore, & amentia contradicant.
  - 4. Si vero non petierint, nec voluntatem exhibuerint illum recipiendi, non sunt baptizandi.
  - 5. Sic etiam baptizari debent monstra ex viro, & muliere genita, & si constet ex geminatis partibus principalibus corporis duas habere animas, his sunt baptizanda.
  - 6. Si vero dubitetur, an duas habeant animas, his Baptismus conferri debet, unus absolute in illa parte, in qua perfectius apparet capax, & alius in alia parte sub conditione.
  - 7. Monstrum genitum ex muliere, & bruto baptizari non debet.
  - 8. Si vero monstrum sit genitum ex viro, & bruto femella baptizari debet sub conditione.
  - 9. In dubio autem, an sit ex bruto masculo, vel ex viro, baptizari debet sub hac conditione, si homo est &c.
  - 10. Si daretur casus, quod infans non via ordinaria, & per seminatalem generationem, sed miraculose formatus ex humana carne prodigiose nasceretur, esset baptizandus, non quidem ad delendum peccatum originale, quod non contraxisset, sed ut carattere baptismali adscriberetur ecclesie Christi, & propter gloriam consequendam.
  - 11. Filii parvuli quorumcumque infidelium sive nunquam baptizatorum, sive jam baptizatorum, possunt culti de baptizari invitit parentibus.
  - 12. Nec obstat suorum parentum contraditio, & cetera, que super presentia materia occurrere possunt, ad num. 35.
  - 36. Supplementa Auctoris inseruntur, ad n. 67.
  - 68. Additiones ex aliena manu, ad n. 126.
1. **S**ubjectum capax Baptismi est omnis, & solus homo, adhuc viator. Est communis. Unde nedum adulti, sed etiam infantes vix nati sunt capaces Baptismi. Est de fide definitum in Concilio Tridentino, sess. 7. can. 12. & 13. de Baptismo, & in cap. Firmiter, de Summa Trinitate, & in cap. Majores 3. de Baptismo. Item capaces sunt,

& baptizari debent furiosi, & amentes à nativitate, qui nullis gaudent lucidit intervalis, qui isti censentur ejusdem conditionis cum infantibus. Sic etiam furiosi, & amentes, qui ex sana mente in furorem, & amentiam inciderunt, si pro tempore sana mentis Baptismum petierint, vel voluntatem illum recipiendi sensibilibiter exhibuerint, sunt baptizandi, licet in furore, & amentia contradicant. Si vero non petierint, nec voluntatem exhibuerint illum recipiendi, non sunt baptizandi, ut colligitur ex cap. Majores 3. de Baptismo. Divus Thomas 3. part. q. 8. art. 12. in corpore. Graffius part. 2. lib. 1. cap. 4. n. 25. Suarez, Henriquez. Bonacina, Layman, & alii passim. Sic etiam baptizari debent monstra ex viro, & muliere genita, & si constet ex geminatis partibus principalibus corporis, duas habere animas, his sunt baptizanda; Si vero dubitetur, an duas habeant animas, ut v. gr. si aliquod monstrum habeat duo capita cum uno pectore, aut duo pectora sub uno capite, his Baptismus conferri debet, unus absolute in illa parte, in qua perfectius apparet capax, alius in altera parte sub hac conditione: Si non est baptizatus, vel si ex capax, Ego te baptizo &c. Si autem monstrum sit genitum ex muliere, & bruto, (quod est impossibile) baptizari non debet, quia certum videtur quod non sit homo, cum ad generationem hominis per omnes requiratur semen viri. Quod si monstrum sit genitum ex viro, & bruto femella, (quod est etiam impossibile) baptizari debet sub hac conditione: Si ex capax, Ego te baptizo &c, quia probabiliter est homo, cum dubium sit, an semen femine ad fecum active concurrat. In dubio vero an sit ex bruto masculo, vel viro, baptizari debet sub hac conditione: Si homo est, Ego te baptizo &c. Si derur casus, quod infans non via ordinaria, & per seminatalem generationem, sed miraculose formatus ex humana carne prodigiose nascat, ut accidisse anno 1330. in Pago de Uluslao prope Dismandam in Flandria puelliter referunt Ludovicus Bertrandus Lothi in resolut. Theolog. n. 15. art. 1. & Franciscus Bovespelt citat à Patre Columbano à Sancto Spiridione de monte Carmelo in questione illa, an miraculose formatus ex humana carne haberet necessitatem Baptismi, Henno, tom. 2. tract. de Baptismo, disput. 4. q. 1. conc. 1. resol. 1. La Croix lib. 6. part. 1. n. 295. narrantes, quod quidam Ludovicus Rosell ridens dolores uxoris suæ parturientis quasi eos simularet, ex imprecatione uxoris, & ultione divina per novem menses sensit dolorem maximum, & tumorem in femore dextro, quo tempore completo, inde excisus fuit infans masculus, qui nomen Patris sortitus est. Dato igitur casu, talis infans esset baptizandus, non quidem ad delendum peccatum originale, quod, ut habet communis cum S. Thoma apud Dicasi, dist. 2. num. 114. non contraxisset, quia non descendisset ab Adamo per ordinariam, & seminatalem generationem, sed ut caractere baptismali adscriberetur ecclesie Christi, & propter gloriam consequendam, juxta illud, Joann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei.

Filii parvuli quorumcumque infidelium sive nunquam baptizatorum, sive jam baptizatorum possunt valide baptizari invitit parentibus. Et ratio est, quia ad valorem Baptismi ex parte infantum non requiritur propria dispositio, c. Majores 3. de Baptismo. Neque obstat suorum parentum contraditio, quia infantes non baptizantur in fide suorum parentum, sed in fide totius ecclesie, ac secundum voluntatem Christi, S. Augusti. *epist.* 23. ad Bonifacium. S. Thomas 3. part. *quest.* 69. art. 9. & alii fere communiter. Filii parvuli infidelium jam baptizatorum, id est, hæreticorum, seu apostatarum à fide, nedum valide, sed etiam licite possunt baptizari invitit parentibus, si ita velint legitimi superiores ecclesiastici, ut colligitur ex Concilio IV. Tolitano, c. 76. *relato* in c. De Judæis 5. dist. 45. & Layman. *lib.* 5. tract. 2. c. 6. num. 11. dicit hoc esse certum, quia hæretici ecclesie Jurisdictioni subiecti sunt, unde sicut ecclesia potest ipsos parentes cogere ponis ad servandam fidem, ita potest ab ipsis filios eripere, & baptizare. Filii infidelium nunquam baptizatorum ordinarie loquendo non possunt licite baptizari invitit parentibus, etiam degentibus in di-

tionibus Principum Christianorum, ut colligitur ex cap. De Judæis 5. dist. 45. ex Concilio Tolet. IV. cap. 15. ubi præcipit Sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri, non enim tales invitit solvendi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitie. Item ex Divo Gregorio lib. 1. *epist.* 15. lib. 2. c. 91. *epist.* 52. Et ratio est, quia filii infidelium ante usum rationis secundum Jus naturale sunt sub cura parentum, & ideo contra justitiam naturalem esset, si tales pueri invitit parentibus baptizarentur; tum quia ut dicit Divus Thomas 2. 2. q. 10. art. 12. esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent præpter naturalem affectionem ad parentes, & ideo non habet hoc ecclesie consuetudo, quod filii infidelium invitit parentibus baptizentur. Immo ecclesia hoc expresse prohibet, nam Julius III. teste Pignatelli. tom. 4. *consul.* 162. n. 51. imposuit tali baptizanti poenam suspensionis, & multam centum ducatorum. Hinc etiam Sac. Congreg. Concilii à Sinensum Missionariis consultata, decreto, quod approbavit Innocentius X. statuit, ne invitit parentibus baptizarentur pueri eorum: & quia Judæi cujusdam puella Avenione, ipso inscio, fuerat baptizata, omnibus Divini Verbi Preconibus jussit, ut declararent eum, qui hoc facere temere præsumeret, præter peccatum mortale, quod committeret, poenæ pro superioris arbitrio infligenda fore subiectum. Sic refert Ludov. Boncellius tom. 1. *Moralis S. Thom. verb.* Infidelitas.

17. Fuit dictum, quod filii infidelium non possunt licite baptizari invitit parentibus ordinarie loquendo, quia dantur aliqui casus, in quibus ipsis invitit possunt licite baptizari. Primo, potest licite baptizari infans, si unus patrens, sive mater, sive pater sit conversus ad fidem, quia melior est conditio fidelis, & innocentis, adeoque præferenda; Habetur expresse decisum in cap. Ex literis 2. de conversione infidelium, & cap. Judæi 10. *caus.* 28. *quest.* 1. Et hoc etiam extenditur ad avum paternum, quippe qui in locum patris defuncti successit, unde si ipse sit conversus, & velit infantem baptizari, potest licite baptizari infans etiam matre reluctante, sicut testatur additio Navarr. *consul.* 4. de convers. infidel. *edit.* 3. Layman *lib.* 5. tract. 2. q. 6. num. 10. & alii. Secundo, potest licite baptizari infans etiam utroque parente manente in infidelitate, quando unus consensit in Baptismo filii, & non alter, quia præferenda est voluntas justa injuste; justior autem est voluntas consentientis, utpote favorabilior & fidei christianæ, & saluti infantis; Bartholomæus ab Angelo de Baptismo, §. 3. Passerinus de Baptismo cap. 6. num. 20. Bonacina de Baptismo *disp.* 2. *quest.* 2. *punct.* 6. num. 2. *vers. resp.* 5. Rosignol. de Baptismo *quest.* 3. de subiecto art. 1. *sect.* 1. *num.* 12. & alii. Tertio, licite baptizari potest infans in articulo mortis constitutus, quia talis extrema necessitas videtur præponderare Juri, quod habent parentes in filiis, & tunc cessat periculum subversionis; dummodo tamen baptizetur occulte, & non per manifestam violentiam ad evitandum occasionem scandalorum, & aliorum incommodorum. Suarez tom. 3. in 3. part. D. Thom. *disp.* 25. *sect.* 3. *vers.* ex his autem, Sotus in 4. *dist.* 5. q. unica, art. 7. Filiucius *tract.* 2. cap. 6. q. 8. n. 144. Rosignol. *loc. cit.* n. 8. & alii communiter. Et hoc idem potest dici de filiis infidelium perpetuo amentibus; alioquin spoliati essent omni spirituali remedio, quando nulla spes est, quod ad proprium rationis usum possit pervenire; Layman. *loc. cit.* num. 10. Anaclel. & alii.

23. Quarto, si filii infidelium pervenerint ad usum rationis, & Baptismum petierint, possunt licite baptizari invitit parentibus, quia filii rationis capaces in iis, quæ spectant ad salutem anime, sunt sui Juris, & nullimode dependent à parentibus; Sic DD. communiter.

24. Quoad dispositiones requisitas in subiecto ad recipiendum Baptismum, dicimus, quod licet in infantibus ante usum rationis, & in perpetuo amentibus, nulla requiratur moralis dispositio, tam ad valide, quam ad fructuose recipiendum Baptismum, cum fidem, aliamque dispositionem in ipsis ob eorum incapacitatem suppleat Christus, & Ecclesia, ut colligitur ex cap. Parvuli 74. ex cap. Nihil 76. & cap. Cum pro parvulis 77. In ecclesia

sia 140. & c. Mater ecclesia 139. de *cons. dist.* 4. & est definitum in cap. Majores 3. de Baptismo, & Conc. Trid. sess. 7. can. 12. de Baptismo. Tamen in adultis ad recipiendum Baptismum valide, & fructuose simul requiruntur tres dispositiones. Prima est consensus voluntarius, quia Deus neminem invitit vult sue familie adscribi, juxta illud Prov. 23. Filii præbe mihi cor tuum, & habetur c. Qui sincera 3. & c. De Judæis 5. dist. 45. & c. Majores 3. de Baptismo, & c. Sicut Judæi 9. de Judæis, & Sarracenis. Secunda est fides, quia Marci ultimo dicitur: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur. Ad Hebræos 11. scribit Paulus: Sine fide impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Unde Alor. 8. Eunuchus postulanti Baptismum respondit Philippus: Si credis ex toto corde, licet; & idem colligitur ex Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 6. & §. 8. & sufficit, quod hæc fides sit actualis, non enim est necessaria habitualis, nam ante justificationem in Baptismo receptam non datur in recipiente fides habitualis, cum simul dentur in effectu baptizatis tres virtutes theologice; Tertia dispositio necessaria in adultis, qui cum originali habent etiam aliquod peccatum mortale personale, est poenitentia, seu dolor peccatorum commissorum. Est de fide ex Alor. 3. Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum, & ex Concilio Tridentino, sess. 6. c. 6. & sess. 14. c. 1. ubi sic habetur: Fuit poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assuequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablu peccatis; qui dolor peccatorum sufficit, quod sit attritio supernaturalis, ut docet Scotus in 4. *dist.* 4. q. 5. & DD. communiter cum S. Thoma q. 68. art. 4. & q. 79. art. 3. ad 2.

Dispositiones adultorum, qui sacro lavacro mergi exoptant, traduntur à Tridentino sess. 6. de Justificatione, cap. 6. ubi præter fidem, & timorem, seu attritionem, qua utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, inquit, fidentes Deum sibi propitium fore, illamque, tanquam omnino adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.

Non requiritur tamen in ipsis baptizandis exterior peccatorum confessio, ut docet S. Bonaventura in 4. *dist.* 16. part. 1. art. 1. *quest.* 2. & S. Ambrósio lib. 3. de Sacrament. cap. 2. his verbis: Etiam si non confiteatur (exterior) peccatum qui venit ad Baptismum, tamen hoc ipso implet confessionem omnium peccatorum quod baptizari petit, ut justificetur, hoc est, ut à culpa ad gratiam redeat. Et S. Thomas *quest.* 68. art. 6. Duplex est peccatorum confessio, una interior, quæ fit Deo, & talis confessio peccatorum requiritur ante Baptismum, ut scilicet homo sua peccata recogitans de eis doleat, non enim potest inchoare novam vitam, nisi poeniteat veteris vite. Alia est peccatorum confessio exterior, quæ fit sacerdoti, & talis confessio non requiritur ante Baptismum, quia pertinet ad sacramentum Poenitentiae.

Ad valide autem recipiendum Baptismum in adultis ratione utentibus, requiritur solummodo prima dispositio, scilicet consensus voluntarius, sive sit actualis, sive virtualis, sive etiam habitualis, id est, voluntas, seu intentio habita, & non retractata, unde ratione habite voluntatis, seu intentionis non retractatæ recipiendi Baptismum, possunt etiam valide baptizari amentes, dormientes, & ebrii. Habetur expresse definitum in c. Majores 3. de Baptismo, §. Item quæritur, & cap. De Judæis 3. dist. 45. Immo sufficit ad valide recipiendum Baptismum quilibet consensus voluntarius, licet cum involuntario mixtus sit, videlicet vi, aut metu quocumque exortus, seu præstitus ob perversum finem, v. gr. propter flagitium patrandum, propter Principis favorem, vel

140. & c. Mater ecclesia 139. de *cons. dist.* 4. & est definitum in cap. Majores 3. de Baptismo, & Conc. Trid. sess. 7. can. 12. de Baptismo. Tamen in adultis ad recipiendum Baptismum valide, & fructuose simul requiruntur tres dispositiones. Prima est consensus voluntarius, quia Deus neminem invitit vult sue familie adscribi, juxta illud Prov. 23. Filii præbe mihi cor tuum, & habetur c. Qui sincera 3. & c. De Judæis 5. dist. 45. & c. Majores 3. de Baptismo, & c. Sicut Judæi 9. de Judæis, & Sarracenis. Secunda est fides, quia Marci ultimo dicitur: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur. Ad Hebræos 11. scribit Paulus: Sine fide impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Unde Alor. 8. Eunuchus postulanti Baptismum respondit Philippus: Si credis ex toto corde, licet; & idem colligitur ex Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 6. & §. 8. & sufficit, quod hæc fides sit actualis, non enim est necessaria habitualis, nam ante justificationem in Baptismo receptam non datur in recipiente fides habitualis, cum simul dentur in effectu baptizatis tres virtutes theologice; Tertia dispositio necessaria in adultis, qui cum originali habent etiam aliquod peccatum mortale personale, est poenitentia, seu dolor peccatorum commissorum. Est de fide ex Alor. 3. Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum, & ex Concilio Tridentino, sess. 6. c. 6. & sess. 14. c. 1. ubi sic habetur: Fuit poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assuequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablu peccatis; qui dolor peccatorum sufficit, quod sit attritio supernaturalis, ut docet Scotus in 4. *dist.* 4. q. 5. & DD. communiter cum S. Thoma q. 68. art. 4. & q. 79. art. 3. ad 2.

Dispositiones adultorum, qui sacro lavacro mergi exoptant, traduntur à Tridentino sess. 6. de Justificatione, cap. 6. ubi præter fidem, & timorem, seu attritionem, qua utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, inquit, fidentes Deum sibi propitium fore, illamque, tanquam omnino adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.

Non requiritur tamen in ipsis baptizandis exterior peccatorum confessio, ut docet S. Bonaventura in 4. *dist.* 16. part. 1. art. 1. *quest.* 2. & S. Ambrósio lib. 3. de Sacrament. cap. 2. his verbis: Etiam si non confiteatur (exterior) peccatum qui venit ad Baptismum, tamen hoc ipso implet confessionem omnium peccatorum quod baptizari petit, ut justificetur, hoc est, ut à culpa ad gratiam redeat. Et S. Thomas *quest.* 68. art. 6. Duplex est peccatorum confessio, una interior, quæ fit Deo, & talis confessio peccatorum requiritur ante Baptismum, ut scilicet homo sua peccata recogitans de eis doleat, non enim potest inchoare novam vitam, nisi poeniteat veteris vite. Alia est peccatorum confessio exterior, quæ fit sacerdoti, & talis confessio non requiritur ante Baptismum, quia pertinet ad sacramentum Poenitentiae.

Ad valide autem recipiendum Baptismum in adultis ratione utentibus, requiritur solummodo prima dispositio, scilicet consensus voluntarius, sive sit actualis, sive virtualis, sive etiam habitualis, id est, voluntas, seu intentio habita, & non retractata, unde ratione habite voluntatis, seu intentionis non retractatæ recipiendi Baptismum, possunt etiam valide baptizari amentes, dormientes, & ebrii. Habetur expresse definitum in c. Majores 3. de Baptismo, §. Item quæritur, & cap. De Judæis 3. dist. 45. Immo sufficit ad valide recipiendum Baptismum quilibet consensus voluntarius, licet cum involuntario mixtus sit, videlicet vi, aut metu quocumque exortus, seu præstitus ob perversum finem, v. gr. propter flagitium patrandum, propter Principis favorem, vel

lucrum temporale consequendum, cit. c. Majores, ubi Innocent. III. sic præcise definit: "Is qui terroribus, atque supplicio velerent attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit sacramentum, talis (sicut) is qui sic ad Baptismum accedit) characterem suscipit christianitatis impressum; & ipse tamquam conditionally volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei christianæ? in quo casu dicit Pontifex debere intelligi decretum Concilii Toletan. IV. capit. 46. in Canone de Judæis §. dist. 45. ubi sic dicitur: "Qui autem ad christianitatem coacti sunt venire... oportet, ut fidem, quam etiam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam susceperunt, vilis, & contemptibilis habeatur. Unde S. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. art. 2. q. 3. in corpore, sic concludit: Si autem sit coactio inducens sicut minis, vel flagellis, ita quod baptizatus potius eligat Baptismum suscipere, quam talia pati, tunc suscipit sacramentum, sed non rem sacramenti.

¶ Dandus est Baptismus moribundis sensibus destituito, quando unicus testis, etiam infidelis, affirmat, eum petisse Baptismum, eodem modo quo adest obligatio absolvendi publicum peccatorem in extremis degentem, qui signa doloris ostendere non potest, unico tantum teste testimonium ferente ea manifestasse, est enim par ratio in utroque casu, immo major in baptizando, nam in Baptismo actus suscipientis illum non sunt materia sacramenti, sicut in confessione. Unde æquius dubitari potest, an impendi possit absolutio penitentis nulla signa doloris ostendenti, quantumvis testis affirmet illa tradidisse, quam dubitari queat, an baptizari possit, qui Baptismum de presenti non petit, dum adsit testis affirmans illud petivisse. Quapropter omnes Doctores affirmantes posse penitentem absolvi, testificante alio signa doloris manifestasse, tenentur sateri posse adultum baptizari, teste affirmante Baptismum ab illo postulatam fuisse. Ita Zambranus de Baptismo c. 1. accedente Joan. Sancio in select. disp. 44. n. 39. & Reginaldo in Praxi tom. 1. leg. 8. c. 3. n. 8. Joan. Sancio l. c. n. 40. subjungit, quod si dubitetur, sit ne mortuus adultus, vel non, adhuc baptizandus sit ex c. De quibus, de Baptismo. Et hinc oritur instructio baptizandi sub conditione ex quocumque capite oriatur dubitatio, cum ratione dubii licite fiant quæ aliis non fierent, ut notat Glossa ibi. Immo etsi testis dubitet, petierit, necne adultus Baptismum, sub conditione baptizandus est, cum undequaque oriatur ambiguitas, apposita conditione, sit vincenda. Præterea si post petitionem Baptismi, se jam nolle illud dicat adultus, dubitetur tamen, præsertim à Medicis, ex phræntesi læsione an renuat baptizari, sub conditione baptizandus est, ut docet Henriquez lib. 2. c. 24. n. 4. Item si dubitetur de veritate testis, an verum dicat, vel non de expositulato Baptismo, sub conditione erit baptizandus; aut si audientes non recorderent satis, an testis asseruerit expositulatum esse, vel non Baptismum, nec compareat testis, à quo sciscitentur, sub conditione erit ministrandum. Hæc Sancio, quem vide.

¶ Si parentes infantem surdum, cæcum, & mutum non baptizassent, non posset postea adultus baptizari; tum quia non esset capax consensus, qui in adultis requiritur, tum quia posset habere aliquem obicem respectu gratiæ sacramentalis; Ochagavia de sacram. tract. unic. de Baptismo, quest. 18. n. 5. Diana part. 9. tract. 6. resolut. 2. Surdus autem, & mutus, qui videns alios baptizari, ut accidit in terris infidelium novi orbis, teste Lopez in instruct. cons. part. 1. c. 12. surdus, inquam, & mutus talis, qui videns alios baptizari, se immisceat cum illis ad suscipiendum Baptismum, petens suo modo etiam ipse Baptismum, si deprehenderetur ex signis, atque indicibus sufficienter instructus, signaque contritionis tundendo pectus vel aliter ostenderet, posset baptizari. Sed si facile posset adiri Episcopus, ejus judicium esset expectandum. Ita docet Lopez l. c. & Episcopus Moscoso in summa, tract. 2. cap. 2. n. 7. ¶

¶ Aliæ vero due dispositiones, scilicet fides, & dolor de peccatis, non requiruntur ad recipiendum Baptismum valide, sed solum ad recipiendum fructuose, nempe cum

effectu gratiæ; Unde si quis adultus sine actu fidei, & doloris de peccatis commissis Baptismum susceperet, valde de eum suscipere, quia characterem recipere, non tamen fructuose, quia non reciperet gratiam, & ceteros effectus ex illa pendentes; Habetur clare in c. 151. de consec. dist. 4. §. 1. ex illis præcisè verbis S. Augustini: "Non interest cum de sacramenti integritate, & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit, illi, qui accipit sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti questionem nihil interest. Item manifestum est, fieri posse, ut fide non integra integrum quoque maneat sacramentum Baptismi, & expresse habetur ex cit. c. Majores 3. de Baptismo, ibi: Sicut & is, qui sic ad Baptismum accedit, characterem suscipit christianitatis impressum. Recedente vero fisione, id est, posito actu fidei, & doloris, tum gratiam, & ceteros effectus reciperet absque reiteratione Baptismi, ex vi præteriti Baptismi recepti sine dolore de peccatis, quia sacramentum irreiterabile non debet carere suo fructu recedente fisione recipientis, id est, adveniente vera fide, & vero dolore de peccatis commissis. Habetur expresse in c. Tunc valere incipit 42. de consecrat. dist. 4. ex istis verbis S. August. "Tunc valere incipit ad salutem Baptismus, cum illa fictio veraci confessione recessit, quæ corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri." Et idem de hæreticis, qui baptizati in hæresi recipiunt valide Baptismum, & recedente fisione, id est, abnegata hæresi per conversionem ad veram fidem recipiunt statim gratiam, & virtutem Spiritus Sancti, habetur clare in c. Quamvis, de consecrat. dist. 4. ibi: "Quamvis unum baptismum sit & hæreticorum, eorum scilicet, qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizantur, & ecclesie catholice; tamen qui foris ecclesiam baptizantur, non sumunt Baptismum ad salutem, sed ad perniciem, habentes nimirum formam sacramenti, virtutem autem ejus abnegantes, & ideo eos ecclesie non rebaptizat quia in nomine Trinitatis baptizati sunt; & ipsa est perfecta forma sacramenti. Ideo cum reverenti fuerint, accipiunt virtutem Spiritus Sancti, quam qui foris ecclesiam baptizantur, nondum habent." Unde S. Thom. in 4. dist. 4. q. 3. art. 2. ad 2. sic ait: "Baptismus recedente fisione habet illum effectum, quem prius habuisset, si ficio non fuisset; & ideo peccata præcedentia Baptismo remittit, & quoad culpam, & quoad penam; sed peccata sequentia remittuntur virtute contritionis, quæ fisionem amovet, quantum ad culpam, non quantum ad penam totaliter." Sic notat Scotus in 4. dist. 4. quest. 5. & alii communiter juxta Trid. sess. 6. cap. 14. & sess. 7. can. 10.

¶ Cum quis animo ficto accedit ad Baptismum, videns scilicet, & sciens se accedere in peccato mortali, vel cum ignorantia crassa vincibilis suscipit Baptismum, qui dicitur fictus proprie talis, & novum sacrilegium peccatum committit; ficio non remittitur per Baptismum, sed per penitentiam in ordine ad claves, atque adeo necessarium est in confessione explicanda. Omnia autem peccata ante Baptismum commissa, & omnia etiam, quæ in ipsa Baptismi susceptione perpetrantur, sive sint sacrilegia contra Baptismum, sive non, delentur recedente fisione per Baptismum, etiamsi ficto baptizatus nullam prorsus attritionem habuisset in ipso Baptismo, ac proinde non sunt, recedente fisione, in confessione explicanda. Denique peccata post Baptismum commissa, recedente fisione, remittuntur per penitentiam in ordine ad claves ecclesie; ideoque quamdiu in confessione non aperitur, requiritur contritio ad tollendam fisionem, & effectum Baptismi consequendum; Cabrera de sac. q. 69. art. 10. disp. 2. §. 3. 4. & 5. Sylvius in 3. part. q. 69. art. 10. Joan. de la Cruz in direct. cons. part. 2. de Baptismo. q. 4. dub. 4. concl. 2. Villalobos in summa tom. 1. tract. 5. diff. 20. & Nugnus in 3. part. tom. 1. q. 69. art. 10. dub. 2. ¶

¶ Filii expositi quando, & quomodo debeant baptizari? Vide verb. Expositi filii.

¶ Baptismus conferri debet filiis mulierum christianorum ex Turcarum contubernio genitis, quando eorum vitæ periculum imminere videtur, admonitis tamen matribus

bus ut si convaluerint, ipsos in christiana religione educate sedulo curent. Pro aliis autem extra tale periculum existentibus hortantur ecclesie ministri, ut invocato, cum genitibus lumine Spiritus Sancti, juxta illius ductum, & prudentie suæ dictamina se gerant. Et si eos ad Baptismum admitti posse crederint, debent eorum matres serio monere de obligatione eos educandi in religione christiana. Benediculus XIV. tom. 1. constit. 89. incip. Inter omnigenas §. 8.

¶ Infantes nati ex patre, & matre græcis, ritu græco, nisi aliter parentes, accedente Ordinarii consensu, voluerint, baptizari debent. Nati vero ex patre latino, & matre græca, latinis sunt cæremoniis baptizandi; si autem pater sit græcus & mater latina, liberum erit eidem patri, ut proles, vel ritu græco baptizetur, vel etiam ritu latino, si uxor latina prævaluerit, id est, si in gratiam uxoris latinæ, consenserit græcus pater, ut latino ritu baptizetur. Idem cons. 67. incip. Et si §. 2. num. 8. q. 42. & 10. Baptismus græcorum filius collatus in casu necessitatis ritu latino, non imponit obligationem sequendi ritum latinum. Idem cons. 87. incip. Demandatam §. 18.

¶ Baptismus infidelium filius sine consensu parentum conferre, est contra justitiam, & contra ecclesie consuetudinem. Idem tom. 2. cons. 28. incip. Postremo mense §. 4. Limita si in extremo mortis desiderium reperiantur. Idem ibidem §. 8. Item si à parentibus projecti, & destituti inventantur. Idem ibid. §. 9. Alterutro tamen parente consentiente, quantumvis patriæ potestatis jura patri non competant, baptizari possunt. Idem ibid. §. 13. & 16. Item si avus nepotis Baptismum offerat, patre, & matre invitis. Idem ibid. §. 17.

¶ Baptismus conferri non debet infidelium filiis, quos christiana educatione fraudandos fore, & infidelitatem parentum sequuturos esse dignoscatur. Idem ibid. §. 23. Item Baptismus conferri non debet infidelium filiis, qui à parentibus offeruntur, non ut originalis culpa ex eorum anima deleatur, sed ut à malignis spiritibus, vel morbo aliquo liberentur. Idem ibid. 19. Quod intellige ubi infans in parentum infidelium potestatem rediturus in eorum infidelitate educandus fore dignoscatur, sed si perversionis periculum absit, tunc habet potius ratione intentionis ecclesie, ejusque ministri, quam voluntatis parentum infidelium, ex sententia sancti Augustini baptizandus est. Idem ibid. §. 24.

¶ Baptismus infantibus collatus sine consensu parentum, quamvis illicitus, invalidus tamen censendus est ex sententia S. Augustini, & Decret. Congregationis S. Officii sub die 3. Mart. 1633. 30. Mart. 1638. 23. Dec. 1698. & 8. Mart. 1708. Idem ibid. §. 26. & 27. Baptizans illicitè & absque consensu parentum infidelium filios puniendus est. Idem ibid. §. 31.

¶ Baptismus adultis conferri non debet, nisi antea instructus fuerit mysteriis fidei, quæ sunt necessaria necessitate mediæ. Idem ibid. §. 41. Baptismus enim sine baptizati adulti voluntate collatus est invalidus; ideoque in adultis voluntas est investiganda. Idem ibid. §. 43. & 44. Baptismus si quis neutra voluntate susceperit, id est, neque volens, neque nolens, non erit valide baptizatus. Idem ibid. §. 47. & 48.

¶ Si Baptismus violenter, atque animo palam contrario suscipiatur, tunc adultus sic baptizatus est caute, & serio examinandus, nec facile credendus, ubi responderit se baptizatum non libere, sed invite, etiamsi cum juramento deponat, nisi hoc idem comprobent adjuncta plurima, & circumstantiæ antecedentes, concomitantes, & subsequentes, & hæc quidem monumenta sint ineluctabilia, & inconcussa. Quod si ex dictis clarissime constet nullam prorsus habuisse voluntatem, aut intentionem recipiendi Baptismum, tunc hortandus est, ut rite id faciat, quod jam irritè fecit, & suscipiat absolute, ac libere sacramentum, & si adhuc obstinate repugnet, est remittendus. Si autem res in dubio sit, nec intelligi possit, an defuerit intentio, an sufficiens fuerit neque, adultus tunc detinendus baptizandusque sub conditione. Item quoties de Baptismi validitate, sive in jure sive in facto dubitetur, adultus sub conditione iterum baptizari debet. Idem ibid. §. 48. 49. 50. 51. & 52.

Baptismus valide in febris ardore, insaniam, somno, 60 vel furore, confertur illis, qui ante præmissa illum postularunt. Idem ibid. §. 46. Baptismus ab adulto susceptus animo suscipiendi lavacrum tamquam ecclesie christianæ proprium, erit validus. Idem ibid. §. 45.

¶ Baptismi collatio unius testimonio comprobatur, si tamen eum probatæ fidei esse constet. Idem ibid. §. 37. non creditur autem chartule anonymæ, cum qua infantes aliquando projecti reperiantur; tunc enim tales infantes baptizandi sunt sub conditione. Si autem schedula habeat certitudinem, ex quo ejus scriptor sit notus, ac fide dignus, tunc infantes habendi sunt ut baptizati, & nequidem baptizandi sunt sub conditione. Idem ibid. cir. §. 31. Vide verb. Expositi Filii, ubi ad id datur decretum Sac. Congreg. Concil. 15. Januar. 1724. ¶ At puer inter christianos natus, postea à turcis captus, & inter eos educatus, si factus grandior ad christianos redeat, sitque de suscepto Baptismo dubius, est sub conditione baptizandus. Nam licet ea ætate credatur captus, in qua debuerit esse baptizatus; tamen hoc non constat nisi ex testibus infidelibus, qui hoc dicere poterunt, ut hic puer postea à christianis captus non baptizaretur; neque hi testes sunt fide digni, etiamsi assererent illum esse baptizatum. Ita in specie docet celebris Glossa in c. Cum itaque, de Consecr. dist. 4. verb. Qui testimonio, ubi ait: hoc casu tantum credendum esse christiano, & non pagano vel judæo testificant, quam sequitur Jo. Sancio in Selectis disp. 34. n. 8. ¶

¶ Baptizandus non est infans in utero matris, si nulla ejus pars aqua perfundi possit; & Baptismus sic collatus non prodest; Idem de Syn. Diac. l. 7. c. 5. n. 2. Si infans in utero possit in aliqua sui parte immediate aliquo modo tingi, aut aliqua ejus pars ex utero proderit, poterit in periculo mortis baptizari, rebaptizandus sub conditione, nisi pars proliens fuerit caput, aut alia ex principalioribus; Idem ibid. a. n. 2. ad 10. plura ad rem scite & erudite suo more adducens.

¶ Alia ad rem vide verb. Infantes. \*

## ARTICULUS VI.

Baptismus quoad tempus, locum, & cæremonias.

## SUMMARIUM.

1. Baptismus est ab omnibus suscipiendus quamprimum.
2. Licet olim Baptismus differendus esset pro puero nato usque ad Pascha, vel Pentecosten, si nullum adesset periculum.
3. Tamen nunc dari potest Baptismus parvulis statim ac nati sunt.
4. Et in Concilio Mediolanensi statuitur sub pena excommunicationis quod Baptismus conferatur ante nonum diem post natiuitatem pueri.
5. Aliquis tamen solemnius Baptismus apud Principes cum gravi causa, quæ v. g. expectari debet patrius, potest differi usque ad sesquimensum.
6. Adulti autem mortaliter peccant, si absque justa causa alii differant suscipere Baptismum.
7. Baptismus extra casum necessitatis est omnibus ministrandus in ecclesiis, ubi sunt Fontes, exceptis Filiis Regum, & Principum.
8. Alii facientes à Concilio Mediolanensi est imposita excommunicatio, adeoque peccant mortaliter.
9. Nominè principum secundum Glossam in Clementina unica de Baptismo, & varios Auctores, intelliguntur solum Principes Supremi.
10. Secundum alios vero Auctores intelliguntur etiam Magistrates Hispanie, Gallie, aliorumque Regnorum, Comitatus, Barones, Legati Regum, & universim omnes obtinentes Jurisdictionem temporalem, ad n. 11.
12. Ille Cæremonie sunt adhibendæ in Baptismo, quibus utitur Ecclesia Romana, cetera ad n. 18.
19. Supp. Auctoris subnectuntur, ad n. 28.

¶ Baptismus est ab omnibus suscipiendus quamprimum, 1 Clemens I. Epist. 4. ibi: omnibus ergo festinandum est, si-

2 sine mora renasci Deo. Unde licet olim Baptismus differendus esset pro puero nato usque ad Pascha, vel Pentecosten, si nullum adesset periculum, ex Concil. Colon. 3. tit. Censura cap. 14. Concil. Antiodor. cap. 18. cap. Venerabilis, & c. Duo tempora, de consecrat. dist. 4. Tamen nunc dari potest Baptismus parvulis statim ac nati sunt. Conc. Trid. sess. 6. in decret. de peccato Originali. c. 4. Et in Conc. Mediolanen. I. part. 2. tit. de Baptismo, statuitur sub pena excommunicationis, quod Baptismus conferatur ante nonum diem post natiuitatem pueri. Layman vero lib. 5. tract. 2. c. 6. n. 9. dicit quod si solemniter Baptismus cum gravi causa differatur v. gr. apud Principes, quia expectari debet Patrius, possit differri usque ad sequimensem. Adulti autem moraliter peccant, si absque justa causa diu differant suscipere Baptismum, & ideo in cap. Quando quis, de consecrat. dist. 4. grauius reprehenduntur, qui differunt susceptionem eiusdem usque ad exitum vite, ubi Divus Augustinus ad Bonifacium ait: *Michi credite, non terrens vos dico, quod dicitur sum. Multos novi, qui hoc passi sunt, qui spe Baptismatis multa peccabant, circa diem autem mortis discesserunt vacui: Deus enim propter hoc baptisma tribuit, ut solvat peccata, non ut addat.* Immo contradicentes Baptismum esse differendum usque ad mortem, vel usque ad aetatem Christi, sic inuehitur Trident. sess. 7. can. 12. de Baptismo: *Si quis dixerit neminem esse baptizandum nisi ea etate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit.*

7 Baptismus extra casum necessitatis sub pena peccati mortalis est omnibus ministrandus in ecclesia, ubi sunt fontes, exceptis filiis regum, & principum, qui extra ecclesiam, & in domibus possunt baptizari, textu expresso in Clementina unica de Baptismo, ibi: *Presenti prohibemus edicto, ne quis de cetero in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed dumtaxat in ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos nisi regum, vel principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi existant, aut talis necessitas emerit, propter quam nequeat ad ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi* audeat baptizare. Qui autem secus presumpserit, aut suam in hoc presentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quod illi attentare similia non presumant. Sic etiam habet Rituale Romanum jussu Pauli V. editum: *In privatis locis nec baptizari debet, nisi forte regum, aut magnorum principum filii id ipsis deposcentibus, dummodo id fiat in eorum capellis, seu oratoriis, & in aqua baptismali de more benedicta.* Et aliter facientibus a Conc. Med. I. part. 1. tit. de Baptismo, est imposita excommunicatio, adeoque transgressores peccant mortaliter, cum gravis poena non imponatur, nisi pro gravi culpa, & excommunicatio sit major poena, quam habeat ecclesia, c. Corripiantur 17. caus. 14. q. 3. ibi: *Qua poena in ecclesia nulla maior est.*

9 Nominis principum, quamvis per Glossam dicti Clementinae, & Vitalin. ibi n. 43. Ugolin. & varios alios Auctores, intelligantur solummodo principes Supremi neminem in sua ditione superiores cognoscentes, & non ii, qui principum titulo, & dignitate gaudent, sed tamen sunt subditi regis, aut alterius supremi principis, tamen Riccius decis. 427. Quintanadven. Singular. tom. 1. singular. 21. apud Gobat tract. 2. de Baptis. num. 492. intelligunt etiam Magnates Hispania, & aliorum regnorum, Comites, Barones, Legatos Regum, & universim omnes obtinentes Jurisdictionem temporalem, Jord. tom. 1. elucubr. lib. 3. tit. 1. n. 15. Idcirco subjungit Gobat loc. cit. in diocesi constantiensi permittitur potentibus nobilibus praesertim Svevia, Hegoie, & Briscoie, quorum plerique vel habent Jurisdictionem, vel progeniti sunt ex majoribus vera Jurisdictione praeditis, ut eorum filii baptizentur extra ecclesiam, sed non nisi in sacello, vel oratorio, ut loquuntur constitutiones part. 1. tit. 6. num. 4. extra casum necessitatis. Et per filios, seu liberos principum intelliguntur etiam nepotes, & pronepotes, leg. Liberos, ff. de verb. Significat., ibi: *Liberos appellatio nepotes, & pronepotes, ceterique, qui ex his descendunt, continentur.* Dummodo descen-

dant ex filiis masculis; gloss. in cit. Clement. verb. Liberi: *Et quod dixi, comprehendendi nepotes, intellige de descendentibus ex filiis masculis.*

(Utrum in omnibus casibus, favorabilibus sive adversis locum obtineat praecedens doctrina, vide leg. 10. tit. 5. lib. 3. For. Reg. ibique Doct. D. Alphons. Diaz Montalvo; leg. 213. Stylis; leg. 2. tit. 26. part. 4. Vid. etiam D. D. Gregor. Lopez in leg. 32. tit. 3. col. 8. q. 15. gloss. 5. in med. leg. 11. gloss. 2. iuxta fin. leg. 16. tit. 13. p. 6. leg. 2. tit. 2. p. 7. & ibi gloss. praesertim. 5. D. Anton. Gomez varior. tom. 3. c. 2. n. 15. & in leg. 18. Tauri n. 2. leg. 2. & 3. tit. 6. lib. 5. Recop. Cast.)

Baptismi caeremonia illa sunt adhibenda, quibus utitur Ecclesia Romana; Conc. Bracharens. l. c. 23. Concil. Mogunt. IV. c. 14. Baptismi caeremonia, quibus nunc utitur ecclesia, fuerunt ex tempore Apostolorum, Conc. Mogunt. IV. c. 83. Unde Baptismi caeremonia, & aliorum Sacramentorum ritus mutari, aut omitti non possunt, nec a privatis personis, nec ab Episcopis. Concil. Trid. sess. 7. de Sacram. canon. 13. ibi: *Si quis dixerit, receptos & approbatos ecclesiae catholicae ritus in solemnem Sacramentorum administrationem addidit, conuictos, aut contemti, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios pro quocumque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.* Caeremonia omissa in Baptismo privato, in ecclesia postea suppleri debent, ut colligitur ex c. Hanc regulam caus. 1. q. 1. & ex cap. Pastoralis 1. & cap. Presbyter 3. de Sacramentis non iterandis, & expresse statuitur in Concil. Mediolanen. I. part. 2. tit. de Baptismo, ibi: *Quod si domi baptizatus, postea vixerit, omnino in nonum diem, vel cum primo post valetudinem licuerit, eum in ecclesia sistant, ubi si rectam Baptismi formam seruatam esse constituerit, ei tantum ritus ac caeremonia Baptismi adhibeantur. Et in Concil. Moguntino IV. c. 15. vbi: Cum autem circa Sacrum Baptisma non raro evenire soleat, ut mystica illa unctioes & c. omittantur; Nos Parochis nostris hanc curam serio iungimus, eis, quae districte praecipiendo mandamus, ut de pueris sic baptizatis diligenter inquirentes, si compererint alioquin debitam verborum formam observatam, Baptismum quidem sic tradidit approbato; eos vero, qui dum baptizarentur, unctioes non receperunt, serio exhortentur, & sedulo inducere tentent, ut consuetas unctioes cum Oleo Sancto in pectore, & scapulis, & in vertice cum chrismate (adjuvantis solitis precationibus, seipsum in agendis habentur) aliosque ritus omissos in seipsum per catholicum sacerdotem iuxta vetustissimum ecclesiae morem, caute, & pie suppleri curent; Et hoc habetur etiam ex Rituali Romano. Caeremonias omnes, aut etiam unam principalem v. gr. unctioem chrismatis omittente, & negligere extra casum necessitatis, est peccatum mortale, quia antiquissimum praecipuum & toties repetitum de iis observandis, est de re valde gravi; Nugnius in 4. p. q. 67. art. 5. Gobat. tr. de Baptismo n. 469. La Croix & alii passim.*

Baptismus conferendus est a propriis respective parochis in propria parochia, non obstante contraria consuetudine. Sac. Congr. Conc. 6. Feb. 1734. Rota in Romana juris baptizandi 14. Januar. 1733. cor. Summiario apud Ursayan tom. 9. part. 1. discept. 32. sub n. 157. 158. Vide ibi, ubi multa ad rem, & supra in supplementis ad art. 4. n. 46.

\* Baptismi conferendi ritus, & caeremoniae in rituali scriptae, sine gravi causa non omittantur, vel cito suppleantur. Benedic. XIV. tom. 1. cons. 89. incip. Inter omniagenas §. 19.

Baptismus extra casum necessitatis conferri non debet aqua communi, vel ea, quae pro lustratione benedicitur: Idem ibid. §. 20.

In Baptismo conferendo omitti non debent sacramentalia, & signanter saliva, sal, & insufflatio; Idem cons. 107. incip. Omnium §. 3. Clemens tamen XII. concessit Missionariis Regnorum Maduren. Mayerur. & Carnaen. ut in casu necessitatis, & salva Fide, salivam omittant, & insufflationibus occulte utantur, ad decennium; Idem ibid. §. 14. Quae dispensatio prorogatur a Sanctissimo

mo ad allud decennium, absque tamen spe ulterioris prorogationis & cum conditionibus, & praecipis opportunis, nempe ut Episcopi, & Missionarii omni studio & labore curent intra praefinitum decennium tempus ex illarum gentium animis, errorum tenebris, malesanaeque opinionibus, quibus obcaecatur, & miseriam detinentur, penitus discussa, ut radicitus evulsae eliminentur; Idem ibidem §. 31. & 32.

24 Baptizati imponenda non sunt nomina idolorum, aut falsae religionis penitentium, sed Sanctorum in martyrologio romano descriptorum; Idem ibid. §. 14.

25 Baptismus infantibus protrahi non debet ultra praefinitum tempus ab ecclesia; Idem ibid. §. 3. Et a Baptismo excludi debent, qui de sacramentalibus caeremoniis ab ecclesia praescriptis perperam sentiunt; Idem ibid. §. 32.

27 Natis infantibus Baptismus conferri quam primum debet, peccantque graviter, qui diu illum differunt; tempus autem indefinitum est, latique edicto mandatum fuit Romae ann. 1723. ut infra triduum infans lavetur. Benedic. XIV. Instri. eocl. 98. §. 3.

28 Non licet absque necessitate Baptismum conferri in privatis domibus, ibid. §. 9.

ARTICULUS VII.  
Baptismus, quoad ejus effectus, & Patrimos.

SUMMARIUM.

1 Effectus Baptismi sunt tres: Primus est gratia Sanctificans.

2 Secundus effectus est remissio omnis poenae proprie dictae pro peccatis debita.

3 Tertius effectus est impressio characteris.

4 Patrimos saltem unus requiritur sub peccato mortali in Baptismo solemnem.

5 Est enim hoc de Jure ecclesiastico ex antiquissima ecclesiae consuetudine.

6 Unde parochus baptizans solemniter sine patrino peccaret mortaliter.

7 Non peccatur mortaliter, si sine patrino administratur Baptismus privatim.

8 Patrimos Baptismi unus, vel una debet esse.

9 Vel ad summum possunt esse duo, unus masculus, & altera femina.

10 Nec Episcopus potest dispensare, ut duo viri, vel due feminae simul suscipiantur.

11 Unde qui plures patrimos, vel matrimos adhiberet, peccaret mortaliter.

12 Si tamen plures designati suscipiantur Baptizatum de fonte, omnes contrahunt cognationem spirituales cum ipso baptizato, & cum ejus parentibus.

13 Patrimos designare spectat ad parentes, non autem ad parochum; unde si alii a parochis, & alii a parentibus sint designati, contrahunt cognationem solum designati a parentibus.

14 Si vero parentes, aut habentes curam infantis nullum patrimum designaverint, veri patrimo erunt, quos parochus nominaverit.

15 Si autem nullus specialiter esset designatus patrimos ex negligentia, aut oblivione parentum, seu parochi, & multi simul tenendo tangerent baptismum, aut de fonte aequo susceperint, omnes contraherent cognationem spirituales.

16 Qui cognationem spirituales contrahunt, ad n. 25.

17 Quae jure antiquo, & quid, si patrimo filiorum infidelium, cetera ad hoc obiectum tendenda, ad n. 45.

18 Additio, ex aliena manu, ad n. 104.

1 Effectus principales Baptismi sunt tres. Primus est gratia sanctificans, cum qua ex Trident. sess. 6. c. 7. simul infunduntur habitus supernaturales Fidei, Spei, & Charitatis, per quam gratiam deletur peccatum originale, una cum omnibus personis ante Baptismum commissis. Habetur expresse definitum in Concilio Florentino in decreto unionis praesertim his verbis: *Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpe originalis, & actualis; & in Concil. Trid. sess. 14. c. 2. Per Baptismum*

*Christum induentes, nova prorsus efficiuntur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remissionem consequuntur; & jam de peccato originali sic definitur ipsum Trid. sess. 5. in decreto de peccato originali, ibi: "Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit."* Et quod sit effectus Baptismi delere peccatum originale, & omnia alia personalia ante ipsum commissa, habetur clare etiam in cap. Non potest, cap. A parvulo, & cap. Regenerante, de consecrat. dist. 4. & patet ex Scriptura. Ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis. Ad Rom. 8. Nil damnationis est illis, qui sunt in Christo Jesu: scilicet per Baptismum. Ad Rom. 2. Baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum. Secundus effectus est remissio omnis poenae proprie dictae pro peccatis debita; Habetur in c. Per Baptismum, c. Sine poenitentiae, c. 4. Per aquam, c. Ut ostenderet, & c. Regenerante, de consecrat. dist. 4. & expresse definitum in Concil. Florentino loc. cit. his verbis: *"Hujus sacramenti (Baptismi) effectus est remissio omnis culpae originalis, & actualis, omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis injungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam admittant, statim ad regnum caelorum, & Dei visionem perveniunt."* & in Trid. sess. 5. in decreto de peccato originali canon. 5. ubi de baptizatis sic ait: *"Innocentes, immaculati, puri, innocui, ac Deo dilecti effecti sunt, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu caeli removeret."* Sine autem ullo dubio eos aliquid remoretur, si adhuc esset purganda poena pro peccatis debita: Item sess. 6. c. 14. ubi dicit, quod in sacramento Penitentiae non remittitur tota poena, sicut remittitur in Baptismo, ibi: *Non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis: adeoque Tridentinum sentit in Baptismo totam poenam pro certo remitti. Tertius effectus Baptismi est impressio characteris, ut habetur in c. Majores 3. de Baptismo, Conc. Flor. in Lit. unionis, & Trid. sess. 6. c. 9. ubi: "Si quis dixerit in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit."**

(Non abs re erit hic afferre S. Joan. Chrysostomi verba de Baptismi effectibus, ex Hom. ad Neophytos apud S. Augustin. lib. 1. contr. Julian. c. 6. num. 21. tom. 10. operum col. 335. *"Benedictus, inquit, Deus, qui fecit mirabilia, solus, qui fecit universa, & convertit universa. Ecce libertatis serenitate perfruntur qui tenebantur paulo ante captivi, & cives ecclesiae sunt qui fuerunt in peregrinationis errore, & iustitiae in eum versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed & Sancti; non tantum Sancti, sed & iusti: non solum filii, sed & haeredes: non solum haeredes, sed & fratres Christi: nec tantum fratres Christi, sed & cohaeredes: non solum cohaeredes, sed & membra: non tantum membra, sed & templum: non tantum templum, sed & organa spiritus. Vides quot essent baptismatis largitates."*

Patrimos saltem unus requiritur sub peccato mortali in Baptismo solemnem, sic tenet communis ecclesiae praxis, secundum quam nullus admittitur in Baptismo solemnem sine patrino, & eruitur ex omnibus ritualibus ecclesiasticis, qui dirigunt omnia interrogata ad patrimos, qui propterea in jure appellantur *fidejutores baptizatorum, & sponsores pro eisdem*, ut expresse habetur ex c. Vos ante 105. de consecrat. dist. 4. his verbis: *Vos ante omnia tam mulieres, quam viri, qui filios in Baptismo suscipitis, moneo, ut vos cognoscatis fidejutores apud Deum sitisse pro illis, quos videri estis de sacro fonte suscipere.* Et hoc esse de jure ecclesiastico saltem non scripto constat ex ipsa antiquissima ecclesiae consuetudine, ut testantur S. Dionysius Areopagita ecclesiasticae hierarchie c. 2. part. 2. & cap. 7. Tertullian. 1. de